



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. VIII. Vtrum interna gratia specialis, præter Dei concursum naturalem
humanæ naturæ debitum, sit necessaria simpliciter homini lapso ad
honeste perandum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

intelligendus est, de illa, ut impia est, operante, vel si absolute de illa voluntate intelligatur, limitanda est dicto modo, ut scilicet regulariter intelligatur, multi enim graues expositores ita putant, esse intelligendum illum locum, de impossibili pro difficili, ut supra vidimus. Denique in quarto loco de oculo sinistro, seu nequam, Matth. 6. verum quidem est, oculum esse intentionem, & ab intentione iniqua non prodire actionem bonam, sed inde non probatur, infidelem nunquam habere intentionem bonam sufficientem ad operis alicuius honestatem. Quando ergo hoc subsumit August. intelligendus est, morali modo, seu distributione regulari, & ut plurimum, sicut dictum est.

27.
Item procedunt priores
dicitur August.
finitur ratio
nos in 24. 3.
& 4.

Est ita etiam constat sententia duarum primarum rationum Augustini, procedunt enim moraliter, ac regulariter loquendo, non vero de absoluta necessitate, quia nulla est talis, ut ostendi. Probationes vero August. in prima ratione adductæ ad summum probant ordinariam fieri contingentiam. Quod verò dicit in vltima, esse superbum, operari virtutem moralem propter se ipsam, moderandum est, & intelligendum (ut supra dixi) de his, qui in tali operatione constituebant vltimum finem, & beatitudinem, sicut multi Theologi dicunt, Angelum peccasse, ita appetendo suam beatitudinem naturalem, ut omnem aliam contempserit, & ita se ipso contentum, in superbiam elatum, Deum, & alia superiora bona despectisse. Ita enim Philosophi Stoici sensisse videntur, contra quos ibi August. agebat, ut ibi latè Ludou. Vives exponit. Et sic etiam accommodanda est tertia ratio August. dicitur enim infidelis operari sine fine debito, quia regulariter illum excludit, vel in modo operandi ponendo in suo opere vltimam perfectionem, vel extrinsecum finem prauum adhibendo, sed hæc ad summum procedunt quoad vsum, & regulariter, non verò quoad perfectatis defectum, vel absolutam necessitate, & idem est sensus tertiæ rationis.

Procedit etiam
tertiam
in eod. nu. 4.

28.
Procedit
4. ibid.

Quarta autem ratio August. videtur procedere iuxta sensum secundæ propositionis eius, quam proposuimus, nam operatio sterilis ad vitam æternam, non semper est peccatum propriè sumptum, potest autem dici non bona Theologicè, id est, carens bonitate, quæ debet habere, ut aliquid æstimetur, vnde à Paulo 1. Corinth. 13. Nihil esse dicitur. Neque August. vnamquam sterilitatem operari in prædicto sensu, neque vera datur tale præceptum, nec potest cum fundamento fingi. Potest verò illud sterilitatem distinguere, scilicet vel negativè tantum de facto, vel etiam de possibili, quod est esse infructuosum contrariè, priori modo potest actus esse non malus, licet sit sterilis de facto, ex alijs conditionibus operantis: posteriori autem modo dicitur opus sterile, cui repugnat esse fructuosum ad vitam æternam, & hoc modo omne opus malum infructuosum est, quia solum ratione malitiæ potest illam repugnantiam habere. Non est autem necesse, ut omne opus infidelis sit infructuosum hoc posteriori modo, nisi forte regulariter, ut dictum est. Quinta verò ratio August. ne apertam æquiuocationem committat, quam probat obiectio facta, intelligenda est de vera pudicitia in sensu explicato in propositione prima, si enim vera pudicitia, etiam si corporalis sit, debet esse coniuncta cum spiritali, qua anima Deo coniungitur ut summo bono, in quod omnia refert, & ideo repugnat, veram pudicitiam esse in animo fornicante à Deo, &c.

Procedit tamen
idem 5. ibid.

CAPVT VIII.

Vtrum interna gratia specialis, præter Dei concursum naturalem humane nature debitum, sit necessaria simpliciter homini lapsi ad honeste operandum?

1.
Præmissum
ex prædictis.

Propono quæstionem hanc de homine lapsi, quoniam de alijs statibus nulla esse potest difficultas,

supposita resolutione, quam de homine lapsi trademus. Igitur de homine in hoc etiam statu constituto, duo possumus ex dictis in præcedentibus capitulis tanquam certa colligere; vnum est, nullam gratiam potius infusam per modum habitus esse necessariam ad honestam operationem. Patet, quia ostensum est, neque charitatem requiri, sed ante hos habitus, vel sine vtroque illorum nullus est habitus infusus operatiuus, ut per se notum est; ergo nullus talis habitus necessarius est ad bene operandum. Deinde est ratio à priori, quia propter actum solum non potest requiri habitus proportionatus, & eiusdem ordinis; ergo propter actum honestum ordinis naturalis non potest esse necessarius habitus infusus. Vnde etiam fit, neque necessarium esse habitum per accidens infusum ad moralem actum bonum, quia potius ex natura rei talis habitus, generatur per actus, & alius modus infusionis extraordinarius est, & quasi miraculosus.

Aliud, quod ex dictis colligitur, est, ad opus bonum morale non esse necessarium auxilium ordinis supernaturalis quoad substantiam suam. Id constat, quia ante reuelationem fidei nullum datur homini tale auxilium, & ante illam potest bene operari. Item quia nulla potest ostendi ratio talis necessitatis, vnde quæ ostendunt habitus infusos non esse necessarios, probant, nullum principium supernaturale esse necessarium. Superest ergo dicendum de auxilio naturali extraordinario, seu non debito, quod aliqui vocant gratiam ordinis naturalis. Potestque ad varias opiniones explicandas subdistingui. Nam quoddam auxilium potest intelligi, quod non solum sit in se quid reale, & additū præter omnia naturalia, sed etiam sit per modum principij physici actus moralis boni. Aliud verò esse potest speciale auxilium, quod in se sit realiter, ac physice aliquid supra omnem influentiam primæ causæ, tamen ad actum non inuenit, nisi per modum principij moralis. Denique aliud esse potest, quod licet physice, & in se non sit aliquid maius, quam per ordinarias causas secundas euenire possit, nihilominus in ratione beneficii, & in opportunitate temporis pro quo confertur, sit speciale auxilium, & verè supernaturale, non quoad substantiam, sed quoad modum.

His ergo modis multiplicatæ sunt opiniones in hoc puncto: prius verò, quam speciatim illos referamus, quæstio generatim tractanda est. Est itaque multorum opinio, nullum opus morale bonum posse fieri ab homine lapsi sine speciali auxilio gratiæ. Pro hac sententia relatus inuenio apud Vasquez 12. disp. 190. capit. 2. Leonar. Arce. Dialog. de Morib. Iacomel. lib. aduersus fratrem Medensem, cont. error. 17. Ahron. Panthuf. lib. de Prædestinat. & Gratiæ cap. 6. post medium, & lib. de Liber. arbitr. c. 6. post medium, Franc. Romæum lib. de Liber. & necessit. oper. verit. 14. & 15. & verit. 22. Hanc item sententiam ita generatim sumptam latissimè defendit Gasp. Cassal. libro 1. de Quadrip. iustit. cap. 10. & à cap. 20. vsque ad 40. nunquam verò explicat modum illius gratiæ. Idem tenet Cather. Genes. 3. circa id, Vocauitque Dominus Adam, &c. Rationes autem eius eo tendunt, ut probent, non posse hominem, iustitiam, seu habitum virtutis, & charitate carentem bene moraliter operari, quod supra cap. 4. impugnauimus, & Catherino sufficienter respondimus. Eandem sententiam sequuntur Gregorius, & Capreolus, & nonnulli alij, varijs tamen modis illam defendunt, & ideo illos postea referemus. Nos enim prius contra dictam sententiam, generatim veritatem trademus, postea verò per omnes modos auxiliorum gratiæ, qui à varijs authoribus excogitati sunt, discurrendo, singulas opiniones confutabimus, & generalem conclusionem confirmabimus, tandemque generalia fundamenta omnibus contrarijs opinionibus communia proponemus, & expendemus.

Dicimus ergo, posse hominem lapsi in vno, vel alio

Assertio
Vtrum homo
lapis sine
auxilio spe-
ciali aliquo
de bono mo-
raliter ope-
rari.
Evidetur
assertio
Plus est bene
moraliter o-
perari quam
facere opus
de bono mo-
raliter bonum.

5.
Primo an-
tebratate
Scholasticorum
nam firmata
assertio.

6.
D. Thom.
quidam in
contrariis
tenuit.

alio actu bene moraliter operari sine speciali auxilio gratia. Explicatur assertio, nam in primis plus est, bene moraliter operari, quam actum morale de se bonum facere, hoc n. posterius fit per actum ex genere suo, vt autem, seu ex obiecto bonum, etiam si non recta intentione fiat, & ideo nemo vnquam dubitauit, quin talis actus possit virib⁹ naturae fieri, nam etiam a pessimis hominib⁹ fieri potest. At verò, vt quis bene moraliter operetur, necessarium est, vt actum faciat vndiq; honestum ex fine, seu moriuo, & omnibus circumstantijs, & de hoc actu procedit assertio. Vnde fit, vt assertio locū habeat tam in actibus praeceptis lege naturali, vel humana, quam in non praeceptis, plus enim requiritur ad bene moraliter operandum, quam ad seruandum praeceptum naturale, vel humanū. Praeceptum n. seruari potest per actum de se bonum; imò aliquando per indifferentem, etiam si ex aliqua circumstantia peccaminosè fiat, vt suppono: vnde si liberum arbitrium potest facere actum vndiq; bonum, à fortiori poterit facere actum impletuum naturalis praecepti. Rursus actus bonus latius patet, quam actus praeceptus: saepe n. homo potest bene moraliter operari, nullo virgente praecepto, & illud est modum operandi assertio complectitur, quia eadem est vtriusq; ratio, neq; carentia praecepti auget difficultatem bene operandi. Quod si nō de absoluto praecepto, sed de conditionato tractemus, sic in opere bene facto aliquod seruatur praeceptū, quia licet homo interdum nō teneatur absolute aliquid operari, v. g. eleemosynam facere, si tamen illam facere velit, tenetur debito modo illā praestare, & ita quoties homo bene moraliter operatur, aliquod naturale praeceptum obseruat, & ita vtrumq; in assertione includitur. Quae etiā intelligitur per se loquendo, & consideratis virib⁹ liberi arbitrij, & intrinseca conditione status lapsae naturae, nullaq; tentatione extrinseca virgente, nā quid de tempore tentationis dicendum sit, postea videbimus.

Cōclusio ergo sic declarata communis est discipulorum D. Th. 1. 2. q. 109. art. 2. & 3. vbi Cōrad. Caiet. Medina, & Valent. Soto lib. 1. de Natur. & Grat. c. 20. Alij Scholastici illam tenent in 2. dist. 28. Albert. Scot. Durand. Gabr. & Carthus. Idemq; tenēt moderni scribētes de grat. & liber. arbit. contra haereticos, quos cum multis alijs retuli in 1. p. lib. 2. de Praedest. c. 9. 11. & 12. & infra tractando de victoria tentationum, alios referam. Et in illis oportet aduertere, aliquos eorū sub nomine gratiae dicere, requiri gratiam ad singula opera moralia; sed loquuntur latè de nomine gratiae, prout significat etiam generalem concursum primae causae, vel quodlibet beneficium generalis prouidentiae Dei. Quomodo loquitur Bonauent. in 2. d. 28. art. 1. q. 2. & ibi Albert. art. 1. Eodemq; modo loquitur Marh. in 1. q. 20. art. 1. & 2. q. 17. & 18. art. 1. & Dionys. Cystert. 1. d. 17. q. 1. art. 2. & in 2. d. 27. q. 1. & Abul. in ca. 9. Matt. q. 174. vt faciliè legenti, & considerandi horum authorum verba patebit, nam planè fatentur ad eiusmodi opus morale non requiri auxilium, quod sit praeter naturae debitum.

De D. Tho. autem sententia, licet antiqui Scriptores, & plures ex modernis non dubitauerint, nonnulli ex recentioribus illam in contrariam sententiam adducere conantur, quia valde generaliter, ac proinde ambigūe vititur nomine *auxilij Dei mouentis*, sub qua voce in 1. 2. q. 109. art. 1. & 2. dicit, ad omnem veri cognitionem, & boni etiam naturalis amorem honestum, esse necessarium auxilium Dei. Quod aliqui de speciali gratia auxilio interpretantur, tum quia in ar. 6. 7. & 8. dicit cum hoc auxilio posse hominem preparari ad gratiam, resurgere à peccato, & perseverare sine peccato, si natura esset integra. Tum etiam quia 2. 2. q. 130. art. 1. ad 3. dicit, ideo nō esse presumptionem intendere cogitare, & facere bonū, quia id possumus cum auxilio diuino, & loquitur de speciali: nam fundatur in testimonio Pauli, quod in argumento adduxerat. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis.* 2.

Pars 1.

Corint. 3. Tum praeterea quia 2. 2. q. 136. art. 3. ad 2. ait, bonum politicè virtutis esse commensuratum naturae humanae, & ideo fieri posse sine auxilio gratiae gratum facientis. Licet non absq; auxilio gratiae Dei. Tum deniq; quia q. 14. de Verit. ad actus voluntatis bonos dicit non esse necessariam gratiam habitualement, sed requiri gratiam, prout dicit internam Dei motionē.

Sed nihilominus mens D. Thom. clara est, docet enim posse aliquod opus bonum fieri cum solo concursu Dei generali. Nam 1. 2. quæst. 109. art. 2. dicit naturam humanam ad volendum quodcumq; bonum indigere auxilio diuino vt primo mouente. Sicut (inquit) dictum est, vt q. ar. 1. vbi illud auxilium exposuerat de concursu Dei, quo omnis causa creata ad agendum indiget, & in artic. 3. eodem modo loquitur de eodem auxilio, & illud distinguit ab omni dono gratuito superaddito naturae, & ab auxilio gratiae naturam sanantis, quod non solum habitualia dona gratiae, sed etiam dona actualia includit. Idemq; in ceteris articulis illius quæstionis considerari potest. In artic. autem 6. vbi distinguendo auxilium ab habitu dicit, vt homo se preparat ad habitum gratiae recipiendum, non indigere alio habitu, sed auxilio, non dixit praecise, *auxilio Dei mouentis*, sed addidit, *auxilio gratuito Dei mouentis interioris, seu inspirantis bonum propositum*. Vt significaret, sermonem esse de auxilio altiori, quam sit concursus generalis, vtq; naturae non debito, sed supernaturali, & interiori à Spiritu S. inspirato. Quibus verbis significare solent Patres auxilium supernaturale gratiae, vt infra videbimus. Et artic. 7. expresse loquitur de auxilio gratiae: loquitur enim in illa quæstione stricte, & proprie de gratia supernaturali, prout ratio disputationis proprie exigebat. Vnde in art. 8. iterum loquens de concursu generali, non vocat illud auxilium gratiae, sed vocat *auxilium Dei in bono conseruantis, quo subtrahit etiam ipsa natura in nihilum decideret*. Ac tandem in art. 9. & 10. ultra auxilium gratiae habitualis aperte distinguit auxilium actuale necessarium ex ratione generali concursus diuini, de quo in primo & secundo articulo loquutus fuerat, & auxilium gratiae ex speciali ratione necessarium, de quo ibi loquitur. Itaq; in illa quæst. vbi D. Thom. rem ex professo tractauit, satis clara est eius sententia.

In priori autem loco 2. 2. q. 130. artic. 1. ad 3. generatim loquitur de opere virtutis, seu de actu bono, id est, si vtrumq; in sua generalitate accipiat, debet cum proportionem intelligi, nam ad actum bonum naturalem, sperandum est auxilium naturale generalis concursus, ad bonum verò supernaturale, auxilium diuinum supernaturale. Si autem loquatur de bono meritorio, vt testimonium Pauli exigit, & est vsus Sāctorū, vt infra videbimus, nihil locus ille ad praesentem quæstionem pertinet. In altero verò loco ex q. 136. probabile est, vsum esse vulgari modo nomine *auxilij gratiae Dei*, prout comprehendit etiam auxilium generale, vt de vfu multorum Scholasticorum diximus, & expresse distinxit idem D. Thom. in 2. dist. 28. art. 1. ad 1. & art. 3. Dici etiam probabiliter potest, D. Thomam in illo articulo tertio, argumento secundo, obiecit quibusdam gentilibus, *Qui sine gratia Dei multa mala tulerunt, ne parui proderet, vel aliquid inhonestum committerent*, & ideo respondisse, tolerasse illa sine gratia habituali, non verò sine auxilio gratiae etiam proprie sumptae, non quia tale auxilium necessarium sit ad singula opera bona etiam minima, sed quia est necessarium saltem ad opera insignia, & ad vincendas difficiles tentationes, seu difficultates, vt postea dicemus.

Addo, eundem D. Thomam 2. 2. q. 10. artic. 4. dicere, infideles non posse facere bona opera, quae sunt ex gratia, scilicet, opera meritoria, posse tamen aliquatenus facere bona opera, ad quod sufficit bonum naturae, quod in eis non est tot aliter corruptum. Et inde concludit, non peccare infideles in omnibus suis operibus. Vnde-

Y 2

7.
Sed inma-
rito.

8.
Satisfit locis
citatis ex 22.

9.
Suffragatur
etiam in lo-
cu alijs.

de necesse est, vt in prioribus verbis loquatur de bono opere bene factio, quia si non beneficiet, iam esset peccatum. Et in eodem sensu dicit in solut. ad 3. posse infideles per rationem naturalem facere aliquod opus de genere bonorum. Denique in quest. de verit. aperte docet, concursum Dei generale posse ad aliquod actum bonum sufficere. Declarat autem, in voluntate esse hoc auxilium necessarium, non solum ex parte potentie, sed etiam ex parte obiecti excitantis, quod etiam dixerat in 1. 2. q. 109. ar. 2. ad 1. & est clarum, neutrum autem excedit necessitatem generalis concursus, vt in sequentibus latius explicabimus. Quibus addi etiam potest quod D. Thom. Ioan. 15. lect. 1. tractans illa verba, *Sine me nihil potestis facere*. Distinguit in nobis duplicia opera, alia, quæ sunt virtute naturæ, alia, quæ sunt virtute gratiæ, & priora dicit, non fieri sine verbo influente generali concursu; posteriora verò non fieri sine Christo, vt est author gratiæ. Et concludit. *Et ita manifestum est, quod nullum opus meritorium sine ipso fieri potest*; Sentiens, opus bonum merè naturale, & non meritorium, sub illa regula non comprehendit, &c.

10. Est etiam hæc sententia valde communis apud sanctos Patres. Nam qui Augustinum præcesserunt, passim ita loquuntur, ita vt interdum limitatione, & expositione indigere videantur, vt ex his, quæ diximus in lib. 2. de Prædest. facile intelligi potest. Et ex Chrysost. homil. 67. ad popul. & hom. 26. in Matth. in Imperfecto, & Hieron. scribente etiam contra Pelagianos lib. 3. circa finem, & in cap. 1. & 5. ad Galat. ex August. verò, & Prospero, ac Fulgentio multa in sequentibus afferemus. Et videri potest Gregor. hom. 27. in Euang. & Damasc. lib. 3. de Fid. cap. 14. Denique ex Concilijs etiam, & Scriptura idem deduxi in lib. 2. de Prædestinat. capit. duodecimo, & sequentibus, additis etiam varijs discursibus, & rationibus, tum à priori ex ipsa rei natura, & intrinseca facultate naturali naturæ humanæ, quæ post peccatum non fuit destructa, neq; in internis potentijs diminuta, sed tantum priuata possibilitate, quam per gratiam, & iustitiam ante peccatum habebat. Tum etiam à posteriori ex varijs incommodis, quæ ex contraria sententia sequuntur, quæ omnia hoc loco repetere superuacuum est. Vt tamen ibi dictis aliquid addamus, libet hoc loco quendam locum Pauli ibi etiam tractatum hinc diligentius, & accuratius expendere, tum quia fundamentalis est in hac materia, tum etiam quia occasione illius ostendemus, quam recepta inter antiquos Patres, quamq; rationi consentanea sit hæc sententia.

11. Primum autem omnium aduerto ex Scriptura solum posse efficaciter probari, homines quantumvis peccatores, infideles, & impios, interdum boni aliquid morales, & naturalis operari. Hoc enim conuincunt ea, quæ de operibus infidelium cap. 6. adduximus. Et probant optimè verba Christi Matth. 5. *Si dilexeritis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis, nonne & ethnici hoc faciunt*? Vbi necesse est, sermonem esse de dilectione bona, nam dilectio malè exhibita, eo ipso non est digna mercede, ita, vt argumentum sit efficax, oportet, vt illa dilectio etiam in ethnicis bona sit, seu esse possit: aliàs nec argumentum cogeret, nec rectè dicerentur ethnici, idem in eo genere facere, qd fideles etiam naturaliter faciunt. Et hoc ipsum significauit Christus Luc. 11. dicens: *Si vos cum sitis mali, non sitis bona data dare filijs vestris*, vtq; ex affectu naturæ, & ductu rationis sine vlla turpitudine, nam si de largitione turpiter facta sermo esset, nihil mirum esset, quod fieri possit ab hominibus, licet sint mali. Hoc etiam supposuit Petrus, cum dixit, *Serui subditi estote Dominis non tantum bonis, & modè sitis, sed etiam discolis*. 1. Petr. 2. Nam licet Dominus infideles, & ethnici, de quibus præcipue loquebatur Petrus, non sint boni apud Deum, in modo humaniter tractandi seruos, possunt esse boni, & per actus morales naturæ consentaneos, & simpliciter bonos, seu honestos id præstare.

Non possumus autem ex Scriptura efficaciter probare, infideles, & prauos homines hæc opera facere solo generali concursu, & sine aliquo maiori adiutorio Dei, quia hoc in illa non expresse negatur. Sed in primis facis nobis est, quod neq; oppositum affirmetur, sed absolute talia opera dicantur fieri, etiam ab ethnicis. Vnde qui dixerit, tale adiutorium semper, & ad singula opera illis datum esse, oportet, vt aliunde id nobis persuadeat, alioqui merito verba Scripturæ, vt simpliciter sonant, accipimus. Præsertim, quia Christus in verbis supra citatis dixit, talia opera etiam ab ethnicis fieri, vt significaret, illa opera esse infimi ordinis, & apud Deum non esse digna supernaturalis mercedis, quod aduersarij non concedunt etiam de his operibus ex gratia factis. Accedit quod gratiæ auxilium ordinare non conceditur infidelibus ad communia vitæ humanæ opera: hæc autem moralia opera præsertim merè humana, seu inter homines, vt est, obedientia ad parentes, amor ad filios, misericordia ad pauperes, sæpe possunt ab ethnicis bene fieri per ordinarium cursum providentiæ Dei. Deniq; ad hoc ponderari potest verbum illud naturaliter in verbis Pauli Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legi sunt, faciunt*. Nam idem videtur esse naturaliter, quod vi naturæ, & sine speciali ope gratiæ aliquid facere.

Tractatur ad rem præsentem proximè citatus locus Pauli, ac primo quoad illa verba, *Gentes, quæ legem non habent*.

13. Habet tamen locus hic varias interpretationes, quas hoc loco pro viribus expendam. Tria enim in illo loco indigent explanatione. Primum, de quibus gentibus Paulus loquatur: secundum, quid nomine legis intelligat: tertium, quid sit naturaliter facere ea, quæ sunt legi?

Et incipiendo à secundo, certum est, nomine legis ibi intelligi, vel legem scriptam, seu veterem, vel in vniuersum legem Dei positam. Nā clarum est: Paulum non excludere legem naturalem, nullæ enim sunt gentes, quæ hanc legem non habeant, neq; peccari potest sine hac saltem lege, nam vt capit. 4. addit Paulus, *Vbi non est lex, neq; prauaricatio*, vbi legis nomen latius accipit, pro quacunque lege: in capit. autem 2. pro lege extrinsecus addita inter legi naturali. Quomodo August. serm. 25. in Psal. 118. illa duo loca Pauli inter se conciliat, & cum verbis eiusdem Psalms, *Præuaricantes reputauit omnes peccatores terra*. Simpliciter autè considerando contextum Pauli in illo c. 2. de lege scripta plane loquitur: æquiparat enim ibi Iudæos, & gentes in hoc, quod vtriq; iudicandi sunt à Deo secundum opera sua, etiam si Iudæis data esset lex, vtriq; scripta, & non gentibus. Quia qui sine lege peccauerunt (scilicet scripta) sine lege peribunt, & qui in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Eodem ergo sensu adiungit, *Cum enim gentes, quæ legem non habent, &c.* & ita exponit ibi Chrysost. hom. 6. Theophyl. Gentes, inquit, legem non habentes: qualem scripsi. Theodor. Gentes, ait, ante legem Moysi. am. Oecum. Qui lege pædagogico non egent. Et Orig. lib. 2. in ad Rom. significat, sermonem esse de lege Moyfi non cæremoniali, sed morali, seu decalogi, nam opera huius legis scripta sunt in cordibus hominum. Eandem expositionem habent Anselmus, & D. Thomas, & alij Latini, & habetur in commentarijs Ambrosio attributis, circa illa verba, *Qui sine lege peccauerunt, sine lege*, inquit Moysi. Addit verò Augustin. dicto serm. 25. in Psal. 118. secundum hoc, quod dictum est, *Qui sine lege peccauerunt*, dictum etiam esse, *Cum gentes, quæ legem non habent*. Quamuis autem hæc sit proprietas verborum Pauli, nihilominus sententia ex paritate rationis in omni lege positua Dei locum habet: nam etiam illi, qui nullam huiusmodi legem habuerunt, sine lege peccauerunt, & potuerunt etiam naturaliter ea, quæ legi sunt, facere, vt in sequenti puncto dicemus.

Ex his

15. Ex his colligere possumus circa primum punctum, cum Paulus dicit, *Gentes, quæ legem non habent*, omnes illos homines in hac appellatione videri comprehendisse, quibus lex Moyfi data non est, nā omnes illi sunt gentes, id est, in circumcisi, & sunt legem Moyscam non habentes, de qua, vt diximus, propriè locutus est Paulus. Sed cum sub tam generali gentium appellatione varij gradus, seu ordines gētiū distingui possint, quidam n. sunt gentes infideles, & idololatæ, qui & ante legem, & cum lege, & nunc etiam post legem durant: alij fuerunt gentes fideles, & iusti, qui & ante legem, & cum lege Moyfi ante Euangelium fuerunt; alij deniq; sunt gētes fideles, & Christiani, quales iam erant multi tempore Pauli, & postea creuerūt, & durant in Ecclesia ex gentibus congregata. Dubitant aliqui an tam ampla vocis, *Gentes*, expositio sit admittenda; an potius de aliquo gradu istorum Paulus in particulari loquatur.

16. Est ergo secunda expositio Augustini de Spirit. & Liter. c. 26. & 27. de gentibus ad fidem Christi conuersis locum hunc intelligi. Sequitur Prosper cōtra Collator. c. 22. & Fulgent. de Incarnat. & Grat. cap. 25. Et quod grauius est, ibi significat, solos Semipelagianos locum illum de gentibus infidelibus intellexisse; sequitur Beda Rom. 2. Eademq; expositio habetur in commentarijs Ambrosii attributis. Et significant Anselm. & D. Th. ibi, & 1. 2. q. 109. ar. 4. ad 1. Et hanc interpretationem sequuntur graues moderni expositores Pauli, Adamus, & alij, & ex parte Tolet. & Salmeron infra citandi. Pereira verò disp. 9. in illud cap. eam vocat, *solidiorem, sublimiorem, stultiorem, magisq; theologicā*, quam uis nō ita illam approbet, quin aliam infra tradendā libenter amplectatur. Turrian. verò in lib. 7. constit. Clementis c. 34. hanc absolūtè tradit.

17. Fundatur autem hæc expositio in alijs verbis Pauli, quæ proximè præcedunt in eodem loco. *Non enim audientes legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Vnde colligitur, illos gentiles, qui naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, id faciendū, iustificari; ergo non possunt esse infideles, quia sine fide impossibile est placere Deo, & quia per fidem homines iustificantur. Vnde solet sumi aliud argum. & sit 2. Nā Paulus loquitur de gētib; seruauit totam legem naturæ, q. nemo præstare potest sine fide, & grat. Christi; ergo loquitur de gentibus conuersis ad Christum, Maior probatur primò, quia non dicitur quis facere, quæ legis sunt, eo quod vnam, vel aliam particulā legis seruet, si in aliquibus, & maximè si in pluribus legem violat. Secundò, quia de his gentibus, quæ naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, statim subiungit Paulus, *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem accusantibus, ac defendentibus in die, cum iudicabit Deus occulta hominū.* Quibus verbis ostendit, illos gentiles sic facientes, quæ legis sunt, testimonio conscientia posse defendi apud Deum in die iudicii, non poterunt aut sic defendi, nisi qui totā legem seruauerint; ergo de his loquitur Paulus. Tertiò fundari potest hæc sententia in alijs præcedentib; verbis, *Gloria, & honor omni operanti bonum Iudæo primum, & Græco, & ad hoc probandum inducit alia verba, Gentes, quæ legem non habent, &c.* Ergo loquitur de gentibus, quæ apud Deū gloriam, & honorē merentur, istæ autē non sunt, nisi fideles. Quartò post prædicta verba circa finē capituli ab illis verbis, *Si preputium iustitias legis custodiat, aperit loquitur Paulus de gentibus credentibus; ergo & in prædicta sententia; nam in eodem sensu illa voce vtitur.* Antecedens patet, quia multa illis tribuit, quæ sine fide, & gratia Christi fieri non possunt, vt sunt legem consummare, & esse in abscondito spirituales Iudæum, & habere spirituales circumcissionem & laudem non ex hominibus, sed ex Deo.

18. Hæc expositio probabilis est, si tamē rationes eius attentè considerentur, non probant, Paulum tñ loqui de gentibus conuersis ad fidē Christi post inchoa-

Pars I.

ratū Euangelij prædicationem, sed generatim de gētib; iustis, & iustificatis per fidem, quales fuerunt multi ante legē Moyfi, & post datā legem ante aduentum Christi, & post Christi aduentum, ante audientem Euangelij, talis fuit Cornel. & potuerūt esse alij multi. Nam de illis verū est, esse iustificatos per fidem, & meruisse gloriam, & honorem apud Deum, & cōseruasse totam legem, & testimonio conscientia posse in die iudicii defendi apud Deum. Ergo ex vi illarū rationum non possunt restringi verba Pauli ad gentes baptizatos, seu conuersos ad fidem Christi. Responde-
ripōt ex August. ex illis verbis, *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*, colligi, sermonē esse specialiter de gentibus conuersis ad Christū, quia illud est priuilegium legis Euangelicæ, quæ promissa fuit in cordibus imprimēda, Ier. 31. Sed hoc nō cogit, nam illa verba Pauli optimè intelliguntur de legē naturali scripta in cordibus ipso naturali lumine, atq; ab ipso Deo, vt auctore naturæ: lex autē noua altiori modo prædicta est, vt scribenda in cordibus spiritu Dei viui per infusionē fidei, & gratia, vt dicitur 2. Cor. 3. Vnde Cardinalis Tolet. ibi omnino censet, non esse restringenda illa verba ad gētiles factos Christianos, sed extendenda ad omnes gentes, quæ quocunq; tempore fideles fuerunt, non tamen ad infideles, & idololatræ propter prioris expositionis fundamenta.

At verò Salmeron. disp. 18. in ad Rom. excludendos etiam credit gentes conuersos ad fidem Christi, ac 3. proinde Paulum loqui de gentibus, qui tempore legis naturæ, vel Moyfi, seruabant legem naturæ, fide tamen, & gratia adiuti. Et ita excludit gentes infideles propter fundamenta primæ sententiæ. Christianos verò ex gentibus venientes, excludit, quia tales gentes non possunt dici non habere legem, cum Paulus dicat, *gentes, quæ legem non habent*. Assumptum patet, quia licet non habeant scriptam, habent Euangelicam, quæ positua diuina est, ratione cuius dici non pōt de Christianis, *qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt*. Et plures alias coniecturas ad hoc adducit, quæ vel inefficaces sunt, vel nimium probant, vt est illa, quam ex proprietate illius vocis naturaliter sumit, quæ non gratiam, nec fidem, sed facultatem naturalem significat. Nam si hæc ratio vrget, et probat, non esse ibi sermonē de fidelibus gentibus cuiuscūq; ætatis, & per fidem, seu gratiam operantibus; sed de illa particula postea dicendum est. Deniq; adducit pro hac sententiā Anselmū ibi, ille verò licet interdum loquatur de gētib; reformatis per fidē, & gratiam, nunq; verò excludit Christianos. Citari et potest Theod. qui locum interpretatur de ijs, qui ante legē Moyscam fuerunt, Et p̃ys (ait) ṽsi sunt rationibus. Indicat etiam Athanas. vel author quæstion. ad Antioch. q. 124. dicens, *Gracum verò non dicit idololatram, sed pium, qui colat quidem Deū, verū nō credat in Christum, nōq; veterem legem teneat. Sed sine lege Deum colat, seruansq; virtutem aliquam.*

Quarta sententia est contraria omnibus præcedentibus, nimirum, Paulum loqui de gentibus infidelib; & idololatræ. Hanc expositionem tradit expressè Orig. lib. 2. in epist. ad Rom. paulò ante med. vbi inter alia exponens illud, *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum, & Græco*, subiungit, quod, vt ego de gentibus capere possum, de Iudæis, & gentibus dicit, *virūq; nondum credentibus*. Quod de Iudæis in primis declarat, & deinde addit. Sed & Gracum, si gentilis, qui cum legem nō habeat, ipse sibi est lex, ostendens opus legis in corde suo, & naturali ratione motus (sicut videmus nonnullos in gentibus) vel iustitiā teneat, vel castitatem, vel prudentiam, temperantiam, modestiā, custodiat, iste licet à viris alienus videatur æterna, quia non credit Christo, & intrare non possit in regnum calorū, quia renatus nō est ex aqua, & Spiritu S. videtur per ea, quæ dicuntur ab Apostolo, bonorum operum gloriam, & honorē, & pacem perdere penitus nō posse. Et paulò inferius ait, *legē, quæ facit, vt omnis homo, qui peccat, in legē peccet, esse legem naturalem, & hanc esse legem scriptam in cordibus oīm hominū.* De illa verò statim subdit,

Y 3

maximè

Continuit
Chrysost.

maximè conuenire cum Euangelij lege, ubi cuncta referuntur ad naturalem æquitatem. Sentiens quidem, altiori modo esse ipsam naturalem legem impressam in cordibus Christianorum per Dei spiritum, & per illum impleri perfectè, nō tamen excludens priorem sensum planum verborū, quē antea posuerat. Chrysost. etiam hom. 5. apertè exponit illa verba de homine sola ratione naturali vtente, etiam si fidem non habeat, sicut enim ait. *Per naturam autem verbum, naturales intelligit cogitationes, ac rationationes.* Et infra. *Ostendent (inquit) opus legis scriptum in cordibus suis, simul attestante ipsorum conscientia, iustis enim loco legis conscientia, & cogitatio, vtique naturalis, vt dixerat.* Vnde subiungit. *Per hac rursum ostendit, Deum sic hominem finxisse, vt possit per se virtutem intelligere, ac virtutem declinare.* Intelligit ergo per gentes, homines sola ratione naturali vtentes, etiam si fidem non habeant. Et ita intellexit Chrysost. Theophyl. & de naturalibus cogitationibus exposuit, nulla facta fidei mentione. Eodemq; ferè modo loquitur Oecumen. Et in eundem sensum possunt facile accipi verba Athanasij supra citata, nā per ipsum hominem non videtur intelligere hominem iustum, vel fidelem, sed quous modo cognoscantem, vel colentem Deum, & aliquod bonificientem, vt indicant verba illa, *Seruetq; virtutem aliquam.*

21.
Suffragatur
etiam expo-
sitiōes La-
tini Patris.

Ex antiquis etiam Latinis Patribus ita hunc locū intellexisse videtur Tertull. lib. de Coron. milit. ca. 6. dicens, *Quares igitur Dei legem, habens communem hanc in publico mundi, in naturalibus tabulis, ad quas & Apostolus solet prouocare, vt cum ad Roman. naturam facere dicens nationes eas, quæ sunt leges, & legem naturalem suggerit, & naturam legem.* Vbi nationum nomine profectō intelligit gentiles oēs ethnicos, & cum dicit, Paulū ibi prouocare ad naturales tabulas, planè sentit, loqui de gentibus, quæ sola ratione naturali ducuntur, etiam si fidem non habeant. Fauet et Cyprian. lib. 3. ad Quir. c. 99. quatenus verba illa, *Quæ sine lege peccauerunt, sine lege peribunt,* intelligit de his, qui ante legem peccauerunt, qui profectō potissimè sunt gentes infideles. Paulum autē nomine gentium necessariō cōprehendere etiam illos, qui sine lege peccauerunt, statim ostendā. Ambrosius lib. 5. ep. 41. verba illa, *ostendans opus legis scriptum in cordibus suis, de lege naturali in cordibus non tam scripta, quam innata intelligit, Quæ, inquit, non aliqua percipiunt lēctione, sed presens quodam natura fonte in singulis exprimitur, & humani ingenij hauriunt.* Et similia multa habet lib. de Fuga scul. c. 3. Ergo consequenter intelligit, Paulum de gentibus hac lege vtentibus, etiam si ad minimū fidei non habeant.

22.
Commenta-
ria quoque
nominatim
breuij.

Author etiam commentariorum Ambrosio attributorum, licet circa hæc verba primam sententiā sequatur, attamen paulō superius circa illa verba, *Qui cum sine lege peccauerunt, sine lege peribunt;* hanc vtimā apertè docet his verbis. *Non credentes gentiles duplici genere sunt rei, quia neq; legi data per Moysen assenserunt, neque Christi gratiam receperunt, idē dignum est, vt pereant.* Exponit ergo dicta verba de gentibus non credentibus; est autē euident, de eisdem esse sermonem in verbis alijs, quæ nunc tractamus, vt statim ostendemus. Eō vel maximè, quod idem author in eandem sententiā incidit, dū adiungit. *Igitur qui sine lege peccat, peribit, & qui sine lege legem seruauit, iustificabitur. Iustitiam naturaliter seruans, custos legis est. Si iusto non est lex posita, sed iniustus, qui non peccat, amicus legis est: huius sola fides deest, per quam fiat perfectus, quia nihil illi proderit apud Deum, abstinere à contrarijs, nisi fidem in Deum acceperit, vt sit iustus per vitam, quia illa temporis iustitia est, hac æternitatis.* Vbi planè docet, eundem gentilem infidelem, qui peccando sine lege peribit, non peccando, & faciendo opera legis, iustificari, iustitia temporali, non æterna, & apud Deum. Quæ sententia coincidit cum sensu aliorum verborum Pauli, quæ nunc tractamus.

23.
Et Hieron.

Hieron. præterea ad 24. cap. l. ai. in princip. *Audiant (inquit) Iudæi, qui se solos legem accepisse gloriantur, quod priuilegium gentes, & omnes homines naturalem acceperit*

legem. Et subdit inferius, *De qua Apostolus loquitur, cum gentes, quæ legem nō habent, &c.* ubi tacitè exponit Paulum loqui de gentibus, quæ à principio, & ante legem fuerunt, & quæ per totum orbem fuerunt, siue fidem haberent, siue non haberent. Et euidentius Mat. 22. exponens verba illa. *Ite ergo ad exitus viarum: Gentilium (inquit) populus nō erat in vniuersis, sed in exitibus viarum,* ubi loquitur apertè de gentibus non cōuersis, sed infidelibus, de quibus mouet quæstionem. *Quomodo in his, qui forte erant inter malos, & boni aliqui sunt reperi? Et respondet. Hunc locum plenius tractat Apostolus ad Roman. quod gētes naturaliter facientes eas, quæ leges sunt, condēnt Iudæos, qui scriptam legem nō fecerint.* Et addit. *Inter ipsos quoq; ethnicos est diuersitas infinita, cum sciamus, quosdam esse procliuēs ad vitia, & ruentes ad mala, alios ob honestatē morum virtutib. deditos.* Exponit ergo Paulū de gentib. ethnicis, quæ vox infideles significat. Quomodo autē cetera, quæ Hieron. indicat, intelligenda sint, postea videbimus, nunc n. solam expositionem verborū Pauli ponderamus. A qua et non discrepat idem Hieron. vel author commentariorum, quæ nomine eius inter illius opera feruntur in eodē loco ad illa verba, *Naturaliter eas, quæ leges sunt, faciunt,* addens, *Sine de his dicit, qui naturaliter iusti fuerunt ante legē, siue ei qui nunc boni aliquid operantur.* Vbi per hos posteriores nō intelligit iustos, ac subinde nec fideles, sed ethnicos, qui boni aliquid operantur, & vel vtrosq; vel certè maximè posteriores nomine gentium comprehendi indicat.

Nec August. ab hac sententia omninō fuit alienus, vt Cardinal. Tolet. benè supra notauit: nam dicto libro de Spirit. & Liter. c. 28. sic inquit. *Verumtamen quia nō est deus, non vix, adeō in anima humana imago Dei: terrenorum autē creaturam habet deitatis est, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, vnde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitia sua facere aliqua leges, vel sapere. Si hoc est, quod dictum est, quia gentes, quæ legem non habent, hoc est, legē Dei, naturaliter quæ leges sunt, faciunt, & quia huiusmodi homines ipsi sibi sunt lex, & scriptum opus legis habent in cordibus suis, id est, non omnimodo deletum est, quod ibi per imaginem Dei, & n. crearentur, impressum est: etiam si illa differentia non perturbabitur, quia distat à vetere Testamētum nouum, eo quod per nouū scribitur lex Dei in corde fidelium, quæ per vetus in tabulis scripta est: hoc enim illic scribitur per renouationem, quod non omnimodo deletum est per vetustatem.* Vbi licet non simpliciter affirmet, sed sub conditione loquatur, nihilominus clarè sentit, hanc expositionē congruē posse sustineri, nihilq; omninō erroris Pelagij fauere. Quod doctō notauit Stapler. lib. 2. de Iustific. seu de corrupt. naturæ c. 14. ubi hanc dicit esse cōmunem aliorum Doctōrum, maximè Gregoriorum sententiā. Eodemq; ferè modo Prosper cont. Collat. c. 22. vtamq; expositionem sub conditione ponit, dicens, *Si de his Apostolus loquitur, qui ex gentibus sunt vocati, & sunt credentes, &c.* Nihil inde Pelagianos sumere posse. Si verò (subdit) quod magis vult hic disputator intelligi, de illis ista dicuntur, qui aliam à gratia Christiana, quædam ad similitudinem legalium mandatorum proprio iudicio faciunt, &c. quæ an. b. gratiam sapientiam humano generi ad temporalis vitæ utilitatem ex natura à Deo condita superesse reliquit. Vtrumq; ergo sensum admittit, & ab errore liberum esse ostendit. Nec discrepat Anselm. in Paulū, nam licet dicat, gentes non saluari, nisi per gratiam non tamen dicit Paulū loqui de solis Gentilibus, qui saluantur, sed de omnibus, qui lege naturæ per rationem gubernantur. Nec etiam D. Thom. in Paulum in vltima expositione alienus est ab hoc sensu quantum ad hanc partem, vt statim explicando particulam naturaliter ostendemus.

Denique huic sententiæ non parum fauerunt Pius V. & Gregor. XIII. eam defendentes ab iniqua censura Michaelis Baij. Hic enim in sua proposit. 23. temere dixit, cum Pelagio sentire, qui hunc locum Pauli de gentibus fidei gratiam non habentibus intelligit. Dicti autem Pontifices non minus hanc propositionem, quam cæteras tanquam censura dignam reijciunt.

24.
August. ad
Rom. 1. ubi
dicitur, quia
non est deus,
non vix, adeō
in anima huma-
na imago Dei:
terrenorum autē
creaturam habet
deitatis est, vt
nulla in ea velut
lineamenta extre-
ma remanserint,
vnde merito dici
possit, etiam in
ipsa impietate
vitia sua facere
aliqua leges, vel
sapere. Si hoc est,
quod dictum est,
quia gentes, quæ
legem non habent,
hoc est, legē Dei,
naturaliter quæ
leges sunt, faciunt,
& quia huiusmodi
homines ipsi sibi
sunt lex, & scriptum
opus legis habent
in cordibus suis,
id est, non omni-
modo deletum est,
quod ibi per ima-
ginem Dei, & n.
crearentur, im-
pressum est: etiam
si illa differentia
non perturbabitur,
quia distat à ve-
tere Testamētum
nouum, eo quod
per nouū scribitur
lex Dei in corde
fidelium, quæ per
vetus in tabulis
scripta est: hoc
enim illic scribitur
per renouationem,
quod non omni-
modo deletum est
per vetustatem.

25.
Fauent de-
niq. Pius V.
& Gregor.
XIII.

Expositio
Sunt qui
dantur
per illam
expositio

unt. In quo licet non approbent illam expositionem, eam tamen ab omni suspitione erroris Pelagij, & factorum eius liberam esse decernunt. Quapropter non parum etiam excessit quidam eruditus D. Thomas expolitor, qui post illam Pontificum defensionē ausus est dicere, hanc expositionem nullum ex antiquis Patribus habere preter Cassian. collat. 13. c. 12. Nā per hoc significatur, expositionem hanc ortam esse ex Pelagiano errore, q̄ sanē si verum esset, non parū inuidiam, & suspitionem illi conciliaret. Si tñ dictus author oīa, quę ex Patribus adduximus, attentē considerasset, non tam facillē propositionem illam negatiuam, difficillimam probationem habentem, protulisset, neq; expositioni huic tam grauem notam inuississet. Neq; potest defendi testimonio Fulgentij supra relato, nām ille non reprehendit Cassianū, quōd primus, vel solus illam expositionē inuexerit, sed quōd illa contra diuinam gratiam abusus fuerit. Melius ergo Benedic. Pereir. disp. 8. in cap. 2. ad Rom. post illud decretum Pij V. dixit de hac expositione. *Est vera, & catholica, & ab omni heretica falsitate non modo labe, sed etiam specie remota.* Et addit, etiam esse rectū consentaneam, sicut ēt censuerunt Caiet. Soto, & Catherin.

26.
Prædicta
expositio
da acceptio
da de genti
bus in fide
bus, ut non
excludat fide
da extra
legē Moysi.

Cum ergo doctrina, quam expositio rectē intellecta cōtinet, omnino catholica sit, & suspitione careat, mihi ēt videtur esse maximē consentanea contextui, verbis, & intentioni Pauli. Ita verō illam intelligendam existimo, vt non puerit Paulus de solis gentilibus fide carentibus loqui, sed tantum illos non excludere, loquiq; indefinitē, & absolute de gentibus, & de illis dicere, ductū naturæ facere ea, quę legis sunt, siue fidem habeant, siue nō habeant, ac proinde verba illa etiam de gentibus ethnicis vera esse, & intelligi, licet facilius etiam possint de gentibus credentibus, siue ante, siue post euangelium, vera esse. Vt autē hunc sensum ex contextu ostēdamus, discursui Pauli aduertere oportet. Dixerat enim, Deum retribuere vnicuique secundum opera sua, tribulationemque, & angustiam esse in omnem animam operantis malum; honorem verō, & gloriam super omnem operantem bonum, tam Iudæum, quā gentilem, verumq; probauerat illis verbis: *Non enim est acceptio personarum apud Deum.*

27.
Idem Paulus
ait, qui
omnibus

Hoc autem probat alia causali, duas partes continente, videl. *Quiunque n. sine lege peccauerunt, sine lege peribunt, & quiunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.* Hęc ergo duo rursus probat duplici causali propositione sequente, & incipit à posteriori parte dicens: *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Ad iusticiam n. non satis est, habere legem, vel recipere illam, sed necesse est, illam seruare, & idēd qui legem habent, & illam non seruant, per illam iudicabuntur. Deinde probat priorem partem, simulq; tacitē obiectioni respondet, dicens: *Cū enim gentes, quę legem non habent, &c.* Obijci n. poterat, qui fieri possēt, vt quispiam sine lege peccet, cū peccatum sit præuicatio à lege, & ubi nō est lex, nec possit esse præuicatio, vt idēd Apostol. statim c. 4. dixit. Respondet ergō gentes, licet legem nō habeant, vtq; scriptam, vel naturę additam, non omnino carere lege, quia naturalem habent. Hoc autē probat, quia gentes, qui legem non habent, naturaliter ea, quę legi sunt, faciunt, & per hoc ostēdunt habere legem in cordibus scriptā. Intelligit autem facere ea, quę sunt legis, ex testimonio conscientię, vt statim declarat, id est, faciunt iudicantes se ad id teneri, & contrarium esse malum, q̄ testimonium est iudicium manifestum legis in corde scriptę. Et hanc expositionem significat Anselmus in suo comment. & Salmer. disp. 18. & magis in eo sensu perfluit Pereir. disp. 8. Toletus autem annotat. 12. hanc connexionem referre, non tamen approbat, nullam verō rationem alicuius momenti contra illā obijci, nec meliorem sensum inducit. Imō postea in cōmentario ex parte illam sequitur, dicens, respondere Paulum illis verbis ad tacitam obiectionem, quomodo

possint Gentiles sine lege perire. Addit verō, etiam per illa verba explicare Paulum, quomodo possint Gentiles esse factores legis, si non fuerint auditores. Sed hoc licet in se verum esse possit, non tamen videtur intentum à Paulo, quia ipse antea non dixerat, Gentiles esse factores legis, aut iustificari, quia cum ageret de lege scripta, vt ostēdi, per auditores, vel factores legis Iudæos tantum intellexit. Multoq; minus verisimile est, Paulum illis verbis, *Cū gentes, quę legem non habent, &c.* probare, gentes etiam iustificari, implendo legem naturalem, & à Deo esse æterna gloria afficiendas, quia nihil horum in verbis illis Pauli continetur, nec ipse illa infert, sed solum, quod huiusmodi gētes habeant legem scriptam in cordibus: igitur illud tātum voluit illis verbis Paulus cōprobare.

28.

Concluditur
tandem ver-
ba illa, gen-
tes, quę le-
gem nō ha-
bent, exclu-
dere solum
sine lege peccauerunt, sine lege peribunt, comprehendunt eos quibus
lex Moysi
data est, ac
ad id r. expo-
sitionē statim

Quo sensu supposito, qui mihi videtur simplicissimus, & maximē cōsentaneus literę, & discursui Pauli, inde vterius ostēdo, cum Paulus ait, *Gentes, quę legem non habent, naturaliter ea, quę legi sunt, faciunt*, non loqui tantum de gentibus credentibus, sed in vniuersum de gentibus, etiam fideles nō sint, sed sola ratione naturali ducantur. Nam illa verba priora, *quiunque, dere solum sine lege peccauerunt, sine lege peribunt*, comprehendunt eos quibus gentes fide carentes, in quibus eadem obiectio locum habebat, quomodo scilicet peccare possint, si legem non habeant? Ergo vt ratio Pauli sit plena, & ad æquata oportet, vt ostēdat, etiam illōs non omnino carere lege, quia naturalem habent; ergo illos etiam comprehendit sub illis verbis, *gentes, quę legem non habent, &c.* Item de his etiam gentibus verum est, quōd ipsi *sibi sunt lex, & habent opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente cōscientia ipsorum, &c.* Ergo de illis ēt intelligendum illud est, *Gētes, quę legem non habent, naturaliter ea, quę legi sunt, faciunt.* Etenim si Paul⁹ hoc intelligeret de solis operantibus per spiritum fidei, replicari cōtra illum posset, illos solos, qui fidē habent, ostēdere opus legis scriptum in cordibus suis, ac subinde eos, qui nec legem scriptam, nec fidem habent, non posse peccare, quia legem non habent, neq; foris, neq; intus. Ergo vel claudicat probatio Pauli, si Gentiles infideles ab illa probatione excludantur, vel illi ēt non includuntur sub priori regulā, *Qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt.* Accedit, quod Paulus argumentum sumere voluisse videtur ab his, quę præ manibus haberēt, & clara essent, & omnib⁹ nota. Multo autē notius erat omnibus, gentiles, qui tunc erant ethnici, & similes, qui fuerant durante lege Moysi, ductu rationis fecisse ea, q̄ lex iubeat, vtq; quoad moralia, quam quōd essent aliqui fideles, qui hoc ipsi facerent, ergo non est verisimile artasse sermonem ad gentiles fideles, sed omnes comprehendisse. Deniq; verba ipsa simpliciter sumpta in sua proprietate hūc sensum postulat, vt patet ex illa determinatione negatiua, *gentes, quę legem nō habent*, quę amplissima est, & omnes comprehendit, & ex illa voce naturaliter, quā mox tractabimus, ergo non est, cur extra sensum hunc proprium verba trahantur, vel limitentur, cū nulla sit necessitas, vt respondendo ad fundamenta contraria patebit.

29.

Satis est au-
tem, ut in
num. 17.

Ad primum enim sumptum ex prioribus verbis, *factores legis iustificabuntur*, respondemus, verbum iustificandi equiuocum esse, tres n. illius verbi significationes ibi D. Thom. notat, significat enim, vel exequi op⁹ iustitię, vel declarari, seu probari iustum, vel iustum fieri, seu cōparare iusticiam; addi etiam potest quarta significatio, scilicet iustum esse, vel supponi, ex Augustino dicto lib. de Spir. & Liter. cap. 26. Sed hęc ad duas primas significationes à D. Tho. positas reducitur, quāuis iustificari interdum idēd sit, quōd in iustitia crescere, iuxta illud, *Qui iustus est, iustificetur adhuc.* Apoc. cap. 22. n. 11. Atq; omnes hęc significationes locum habere possunt in prioribus verbis Pauli, non verō in posterioribus, q̄ nunc tractamus. In prioribus n. verbis loquitur Paulus de Iudęis, & potest optime intelligi de implentibus non vnum, vel aliud præceptum legis;

legis, sed simpliciter totam legem, ibi enim nomen legum quasi collectivum est, & totam legem cõplectitur, unde non dicitur *factor legis*, qui vnum, vel aliud præceptum legis servat, sed qui totam legem observat. Et talis dicitur iustificari, vel quia iustitiam exequitur, vt D. Thom. vult, vel quia operibus suis se iustum ostendit, & probat, & ideo verè talis ab alijs reputatur. Vel quia iustus esse supponitur, quia nõ posset totam legem servare, nisi esset iustus, vt ait August. vel certè quia per opera legis ex gratia Dei facta cõsequitur iustitiam, vel quoad augmentum eius, si iam erat iustus, vel quoad infusionem iustitiæ sanctitatis, disponèdo se proximè, vel remotè per gratiã auxiliantem ad illã recipiendam. At verò de gentibus, quæ legem nõ habent, & naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, nõ dixit Paul. iustificari per talia opera, sed solum ostendere legẽ in cordibus scriptam, quod longè diuersum est. Neq; eos vocat *factores legis*, nec tales in rigore dici possunt, nisi totam legem observent, quod sine gratia facere non possunt: & tunc èt iustificabuntur modis explicatis. Secus verò est, si aliqua tm faciant, quæ lex nature iubet, & alia transgrediantur, tunc. nec factores sunt legis, nec simpliciter iustificari dici possunt, sed ad summum dici poterunt secundum quid iustificari primo modo, i. exequi iustitiam, non infusam, sed naturalem, nec integram, sed ex parte, seu in aliqua materia, & consequenter etiam dici possunt iustificari secundo modo, nõ simpliciter, sed secundum aliquid, quia in eo, quod bene operantur, reputantur iusti, id est, immunes à peccato in tali opere: non in persona.

30.
Ad 2. arg. &
ad primam
propositionem
maioris proba-
tionem.

Vnde ad secundum argum. negatur maior, & ad primam probationem negatur assumptum. Quia (vt bene notarunt Caiet. Pereir. & alij) Paulus non dixit, omnia ea, quæ legis sunt, faciunt, sed indefinitè dixit, ea, quæ legis sunt, quod verisimè dicitur de his, qui aliqua legis præcepta observant, licet alia transgrediantur. Vnde cõsiderandum est, plus significari per illud verbum *factores legis*, quã per hæc, ea, quæ legis sunt, faciunt. Quia nomen *legis* absolutè, & collectivè positum totam legem per modum vnius complectitur, & ideo non dicitur in rigore, factor legis, nisi qui totam implet; at verò cū quis dicitur facere ea, quæ sunt legis, loquutio non est ita absoluta, nec quasi collectivè de tota lege, sed indefinitè de præceptis legis, & ideo verisimè dicitur de illo, qui aliqua, quæ sunt legis, facit, licet non faciat oia. Neque verum est, hos, qui ea, quæ legis sunt, naturaliter faciunt, iustos esse, aut itã Dei effugere, aut tanquam *legis factores iusti fieri*, aut prædicta verba ad probationem vel illius prioris sententiæ, *factores legis iustificabuntur*, vel alterius, quod iusti gloria à Deo coronabuntur, esse inducta. Nihil n. horum colligi potest ex verbis Pauli. Evidenter n. inducit illa verba, *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*, solum vt ostendat, gentes nõ omninò carere lege, & suis actibus ostendere, se habere illam scriptam in cordibus. Quod plane ostendunt, nõ solum qui totam legem observant, sed etiam qui aliqua præcepta eius faciunt, nec de iustificatione per talia opera aliquid ibi Paul. dixit, vt declaravimus, neq; etiam de eorum remuneratione aliquid dicit, vt ostendimus. Quapropter sensus hic de indefinita locutione Pauli non solum consentaneus est verbis eius, sed èt intentioni Pauli magis deseruit. Nã hoc modo fieri potest, vt idẽ gentilis, qui est transgressor legis, aliqua faciat eorum, quæ lex iubet, & hæc faciendo, ostendat legem scriptam in corde, & testimonium cõtra se ferat, quod non omninò careat lege, licet scriptam non habeat, ac proinde meritò damnetur propter ea, quæ contra legem naturalem facit.

31.
Ad secundam
nem facilis est
responsio. Nam etiam
in gentibus infidelibus
testimonium reddit illis
cõscientia ipsorum,
& in eis inveniuntur cogitationes
inimicè accusantes,
& defendentes, quæ èt ipsos
accusabunt, vel excusabunt
in die, quando Dominus iudicabit
oculis cordium.

Et hinc ad secundam eiusdem maioris probationem facilis est responsio. Nam etiam in gentibus infidelibus testimonium reddit illis cõscientia ipsorum, & in eis inveniuntur cogitationes inimicè accusantes, & defendentes, quæ èt ipsos accusabunt, vel excusabunt in die, quando Dominus iudicabit oculis cordium.

Nã licet in illo iudicio gentilis in sua infidelitate mortuò nõ possit defendi, seu excusari quoad oia actiones suas, nec quod simpliciter caruerit peccato, potest tamen excusari quoad aliquas. Nã cõscientia inmediate accusat actum, quod bonus sit, vel malus, vt docet D. Th. 1. p. q. 79. art. 13. & ita etiam homo damnandus in die iudicii, poterit per cõscientiam excusari, quod in vno, vel alio actu, non peccaverit, quia per ignorantiam invincibilem fecit, vel quod minus peccaverit, quia cum paucioribus pravis circumstantijs deliquerit, vel quod bene moraliter egerit in aliquibus actibus, propter quos non damnabitur, sed minus punietur, licet propter illos actus premium in illo iudicio nõ sit recepturus. Quod aperte docuit August. lib. 4. cõf. Julian. capit. 3. exponendo eadem verba Pauli, & nostram expositionem secundo loco ponendo ait, Aut si fidem nõ habent Christi, profectò nec iusti sunt, nec Deo placeant, cum sine fide impossibile sit placere Deo, sed ad hoc eos in die iudicii cogitationes suas defendent, vt tolerabilis puniantur, quia naturaliter, quæ legis sunt, vtriusq; fecerunt, scriptum habentes in cordibus opus legis habentes, quod homines sine fide, non ad eum finem ista opera intulerunt, ad quem referre debuerunt. Sed hoc victimũ, licet sæpe contingat, nõ est semper necessarium, vt supra dixi. Ideoq; si cõtingat, aliquid sine peccato ab his fieri, solum excusabit illos cõscientia ab omni pena propter talem actum, & ita tolerabilius punietur pro omnibus vitæ suæ actionibus, licet pena alijs actibus debita inde nõ minuat.

Ad tertium argum. sumptum ex verbis illis, *Gloria, honor, & pax omni operanti bonum*, quia non possunt de gentibus infidelibus vera esse. Origenes supra, intelligi vult, gentes etiam hæc verba, de gentibus non credentibus, consequenter respondet, si illi aliquid boni operentur, licet vitam æternam non assequantur, nihilominus bonorum operum gloriam, & honorem, & pacem penitus perdere non possent. Quia (vt infra dicit) sicut is, qui malũ operatur, condemnari meretur, ita si operetur bonũ, aliquam remunerationem accipiet. In qua expositione in primis consideranda est doctrina, quia vt vera sit, debet intelligi de aliqua remuneratione temporali, & ita verum est, ois, qui aliquid boni operatur, etiam si alioqui malus sit, non priuari aliquo temporali præmio, nã omne opus bonum eo ipso meritum est, etiam apud Deum, iuxta doctrinam D. Thom. 1. 2. q. 21. art. 3. Ideoq; verisimile est, Deum omni operanti aliquod bonum, dare aliquod præmium, vel in futura vita, vel in præfenti, quando vel opus, vel persona non est capax melioris præmij. Vnde August. 5. de Civit. capit. 12. censet, Romanos augmentum imperij, gloriam, honorem, ac pacem temporalem suæ reipublicæ propter bona opera à Deo accepisse, etiam si illa non simpliciter bona, sed ex obiecto tantum, & non ex fine operantium esse viderentur. Nõ potest autem dici iuxta doctrinam fidei, infideles, vel alios peccatores habituros aliquod præmium in die iudicii, vel in vita futura propter bona opera, quæ in illo statu operantur. Quapropter non videtur illa doctrina posse præfenti loco Pauli accommodari, nam aperte loquitur de præmio æterno in extremo iudicio Dei conferendo. Ait enim: *Thesaurizas tibi iram in die ire, & iusti iudicii Dei, qui reddis unicuique secundum opera eius, ijs quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem querunt, vitam æternam, &c.* Vbi aperte loquitur de vltima retributione, & de gloria, & honore æternæ beatitudinis, quia non datur vita æterna quærenti gloriam humanam, & temporalem, sed diuinam, & æternam, & ideo illi statim adiunxit, *incorruptionem*. Ergo cum infra dicit, *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudeo primũ, & Gra. o. de eadem gloria loquitur, & de retributione faciendã in eodem vltimo iudicio vt exposuit August. epist. 47.*

Fatemur ergo, Paulum ibi loqui de premio æternæ gloriæ, cuius excellentes proprietates illis verbis indicat, *Gloriam, honorem, incorruptionem, & pacem*. Sed si non ita aduertatur.

aduerto, non dicere, hoc præmium dari omni operanti bonum, sed ijs, qui querunt vitam æternam suis operibus. Hic enim est sensus valde probabilis illorum verborum, *ys qui secundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem, querunt vitam æternam*; ita ut accusatiuis vitam æternam, cum verbo querunt contrahatur, alij verò accusatiui, gloriam, honorem, & incorruptionem, cum verbo reddet, quod præcessit; ut sensus sit, ijs, qui secundum patientiam boni operis, querunt vitam æternam, reddet gloriam, honorem, & incorruptionem. Ita contrahunt, & exponunt Hieronymus, Ambrosius, Oecumenius, Anselmus, & D. Thom. ibi, & Gregor. 28. Moral. c. 13. alijs 6. Quamvis licet legamus, & exponamus, ut Chrysostomus, & Græci, multique Latini volunt, querentibus gloriam, honorem, & incorruptionem per patientiam boni operis, daturū Deum vitam æternam, idem significari debet, licet diuersis verbis. Necessariū enim id intelligendum est de querentibus gloriam, & honorem immortalem, ac verum, qui non est, nisi apud Deum, & in æterna beatitudine, nam querentibus per sua opera temporalem gloriam, non dat Deus vitam æternam. Atque ita etiam exponunt Chrysostomus, Theophilus, & Theodor. Vnde in eodem sensus reddit, nam idem præmium, seu terminus, aut finis bonorum illis verbis significatur, generalius nominibus gloria, honoris, & incorruptionis, specialiusq; nomine vitæ æternæ.

34. *Concluditur* Non ergo cuiusq; operanti bonum, sed operanti illud ob supernaturalem finem, ait Paulus, redditur Deum vitam æternam. Postea verò cum dicit, *Gentes, que legem non habent, naturaliter eas, que legunt, facere*, non dicit ea facere, querendo per illa vitam æternam, aut gloriam, qua Sancti fulgebunt, sicut Sol, sed naturaliter facere, quia rationi sunt consentanea. Et ideo licet in vtroiq; loco Paulus loquatur de gentibus in communi, tamen in priori gentes non credentes comprehenduntur sub his, qui operantur malū, quia licet aliquid boni operentur, non tamē cū conditionibus ad illud præmium requisitis, malum autē est ex quocunq; defectu. Et ob eandem causam necesse non est, ut omnes, qui aliqua legis naturalis opera faciunt, præmium illud consequantur, quia ut bene Caiet. notauit, non dixit Paulus meritorie facere, sed tantum simpliciter facere. Et quamuis illa regula generalis vera sit, quod Deus reddat vnicuiq; secundum opera sua, nihilominus non propter omnia bona opera dat præmium vitæ, seu gloriæ æternæ. Nam multa opera bona moraliter possunt esse etiam in fidelibus; imò etiam in iustis, quæ non remunerantur illo præmio, ut infra suo loco videbimus. Idemq; est de operibus supernaturalibus factis extra statum gratiæ, & defactis à iustis, qui postea in gratia non perseuerant. Vnde etiam pondero verbum illud Pauli, *per patientiam boni operis*, per hunc enim loquendi modum, ut Patres exponunt, circumscriptis, & comprehenditis debitum modum operandi, ut eandem opus sit dignum præmio. Oportet enim, ut sit cum patientia, in vincendis difficultatibus bene operandi cum debitis circumstantijs, & perseuerando sine lapsu vsq; ad finem, alias nō obtinebitur præmium. Gentes autem fide carentes non possunt hoc modo mereri secundum patientiam boni operis, & ideo licet possint aliquid boni secundum rationem operari, non tamen possunt consequi præmium eorum, qui secundum patientiam boni operis vitam, vel gloriam æternam querunt. Ergo priora verba Pauli non obstant, quominus posteriora de gentibus etiam non credentibus intelligantur. Nec obstat, quod in verbis intermedijs absolute dixit Paul. *Gloria, honor, & pax omni op. anti bonum*, quia hæc intelligi debent iuxta præcedētia, quorum serē sunt repetitio, & ita operari bonum intelligitur perfecte, & sicut oportet. Quāvis per accommodationem possit cum proportionē applicari ad omnem operantem bonū quocunq; quia etiam ille aliquod præmium, saltem temporale recipiet, quod videtur voluisse Origen. Imò &

Hieron. in c. 66. Isai. vbi vulgata habet, *Iudæi primum, & Græci, ipse legit, & c. ubi*, indicans illa verba etiam in ethnicis verificari, quod debet quidem intelligi quoad pænam, & damnationem propriam, & simpliciter, quoad præmium verò solum secundum quid, & per quandam proportionem, seu accommodationem.

Ad quartum respondeo, illa quidem, quæ in fine capitis dicit Paulus, a solis credentibus, & gratia Dei adiutis impleri posse, inde tamen solum concludi; Paulum in hoc capite loqui de gentibus absolute, prout à Iudeis distinguuntur, in quibus & credentes, & non credentes comprehenduntur. Ideoq; in discursu capitis, quædam interdum illis tribuit, quæ non nisi per spiritum gratiæ fieri possunt. Interdum verò tribuit aliquid, quod ductu rationis fieri contingit, sicut etiam cap. 1. multa alia dixerat de gentibus, quæ non nisi ab infidelibus, & iniquissimis gentilibus commissa fuerunt. Cum ergo nomen gentium commune, & indifferens sit, in vnaquaque propositione poterit iuxta predicatum determinari, an tantum ad infideles, vel tantum ad fideles determinetur, vel potius vtriusq; iuxta mensuram, & capacitatem suam conueniat.

Tractatur particula tertia naturaliter ex loco Pauli.

36. Hoc ergo modo satis probabile sit, verba illa Pauli etiam in gentibus ethnicis locum, & veritatem habere, non adum tamen ostensum est, illo testimonio probari, posse hominē aliquod opus simpliciter bonum sine gratia facere. quia gentilis etiā infidelis potest interdum auxilium gratiæ ad bene operandum recipere. Et ideo necessarium est (q. tertio loco proposuimus) particulam illam naturaliter pōdere, & explicare. Tribus n. modis potest, & solet explicari verbum illud. Primò August. lib. 4. cont. Iulian. c. 3. ita id exponit, *id est naturaliter, & sine lege, quia de illis loquēbatur, qui ex gentibus venerunt ad Euangelium, non ex circūcisione, cui lex data est, & propterea naturaliter, quia vi crederent, in eis est correctio natura.* Et idem latius declarat lib. de Spir. & Liter. c. 26. & sequitur Prosp. dict. c. 22. contra Collat. & latius Fulgent. dict. cap. 25. vbi sic incipit. *De his igitur, in quibus natura diuino sanatur munere, vi in Deum credant, quiq; gratis per fidem iustificati, etiā ad bene operandum auxilium gratiæ subsequentis accipiunt, Apostolus loquitur.* Cur autem dicat, hominem naturaliter credere, licet ei diuinitus donetur, vi credat, in c. 22. & 23. declarat, dicens, credere vocari naturale, quia homo naturaliter est capax fidei, & quia fides datur, ut per eam humana natura ex vetustate renouetur. Ad hūc sensum accedere videtur author commentar. Ambr. dicens, gentes duce natura credere in Deum, & Christum, q. totale dixit, quia licet credere sit supernaturale, ad illud peruenitur pūo iudicio, quod talis fides sit consentanea rōni, vel quod tales res sint credibiles, quod iudiciū multi putāt, esse ex dictamine rōis naturalis.

37. Quæ quidem expositio est probabilis propter auctoritatem tantorum Patrum, potestq; accommodari ad gentes fideles, & credentes in Deum, & Christum, non tamen potest esse adæquata, cum ostenderimus, aqua, & Paulum de gentibus etiam non credentibus loqui. Deinde est nimis dura, quia q. per gratiam sit, valde improprie dicitur fieri naturaliter, quia per gratiam reformatur natura, vel quia natura ex se est capax gratiæ, alijs etiam Iudæi dici possent naturaliter fecisse, quæ legis erant, seu fuisse factores legis, quia non implebant legē, nisi à diuiti gratia reformante naturā, cui⁹ erant naturaliter capaces: & dicere possem⁹ diligere Deū super oīa naturaliter, & dilectione charitatis, quia et illa dilectio sit à natura reformata per gratiam. Et præterea in Græco pro naturaliter legitur *Quot, i. natura.* At Paulus in illa epist. naturam prorsus à gratia distinguit, ut naturæ infirmitatem, & gratiæ necessitatem ostendat: ergo difficile creditur est, nomine naturæ ad opus gratiæ significandum vsum fuisse:

fuisse: nam in rigore idem est, natura aliquid fieri, quod facultate naturali, vel (vt Syriaca vertit) *ea natura sua, quæ g. facit*. Quia tamen August. expositio valde probabilis est, posset ad hanc ultimam obiectionem responderi, non esse mentem Augustini, ibi sumi nomen *natura* pro gratia, nec tribui effectum supernaturalem gratiæ ipsi naturæ, sed solum dici, hominem naturaliter implere ea, quæ sunt legis naturæ, quæ ipsa natura est principium talis operis, licet natura infirma id non possit præstare, nisi sanata per gratiam, vt magis in sequentibus expositionibus declarabitur.

38.
2. Interpretatio
ratio: con-
munis.

Altera ergo expositio valde communis est, idem significare ibi *naturaliter facere*, quod facere ductu naturæ, id est, per naturales cogitationes & ratiocinationes, vt dixit Chrysost. seu rationibus à natura ductis, vt dixit Theoph. vel, vt Oecum. *natura ratiocinationibus ad boni operationem vtentes*. Denique per legem naturalem omnibus hominibus communem, siue legis scriptæ adminiculo, vt sentit Hieronym. ep. 151. ad Algas. q. 8. & idem sentiunt Anselm. D. Thom. Caietan. & alij in Paulum. Iuxta hanc ergo expositionem illud *naturaliter* non significat idem, quod solis naturæ viribus, ac proinde non opponitur gratiæ, aut illam negat, vel excludit, sed solum affirmat, regulam talis operis esse dictamen rationis naturalis, vt dixit Lyran. Atque hac ratione etiam hoc modò non probatur illis verbis, quod intendimus, nimirum posse aliquid boni opus morale fieri siue viribus gratiæ. Nam ea, quæ fiunt naturaliter quoad regulam rationis naturalis, possunt fieri ex gratia, imò etiam sæpè non possunt obseruari sine gratiæ auxilio, vt postea videbimus. Atque ita multi ex authoribus explicantibus vocem *naturaliter* hoc secundo modo, nihilominus dicunt, loqui Paulum de gentibus gratia adiutis.

39.
Quæritur
enim: a præ-
dictam in-
terpretatio-
nem, cui
gratia con-
traponatur
vox natura-
liter?
Responsio
prima con-
suetudine.

Quæret verò aliquis, quænam sit hæc gratia, quam vox *naturaliter* non excludit. Nam in illa explicanda etiã est varietas in hac sententia. Anselm. enim ibi ait, *Naturaliter quidem, sed non nisi per gratiam, & fidem, quæ renouat imaginem Dei*. At verò hæc additio & confusio hanc expositionem cum præcedenti, & supra dictis repugnat, quia si fides est necessaria, vt gentilis sic naturaliter operetur, nunquam poterit de gentili infideli verum esse, quod Paulus ait, ea, quæ legis sunt, facere; quod est contra dicta, & incidit in priorem expositionem. Dein de probatur, quia si fides est necessaria ad hunc modum implendi legem naturalem, iam tunc non operatur homo ductus ratione naturali, nec lege naturali vt per solam rationem naturalem manifestata, sed ductus spiritu fidei, & in virtute illi⁹ vt manifestantis illam legem, quod est contra Chrysost. & alios huius expositionis Pauli, vt supra argumentabamur. Præterea quod Paul. ibid. subdit, *Testimonium illis reddente conscientia ipsorum*, non solum est verum de conscientia fide illustrata, sed etiam de conscientia per naturalem rationem concepta. Quis enim neget, gentiles infideles accusari, & excusari conscientia, vt ita dicam, merè naturali? Vel quòd eadem conscientia accusabit illos in die iudicii, vel et excusabit modo supra dicto? Ergo ad illum modum naturaliter operandi ex dictamine propriæ conscientiæ, non est necessaria fides, sed ex parte intellectus ratio naturalis sufficit; ergo de isto modo operandi naturaliter Paulus loquitur.

40.
Altera re-
sponso.

Aliter dici potest, quamuis illud verbum *naturaliter* non requirat fidem, nihilominus non excludere necessitatem alicuius gratiæ, etiam ex parte intellectus, quia ratio ipsa diuinitus excitetur, & iuuetur, saltem prouidendo, vt cogitatio illa accommodata sit ad mouendum affectum. Quia non potest humanus affectus præfertim in homine lapso ad bonum moueri, nisi diuinitus excitetur. Et idè Nazianz. or. 31. n. 7. posibilitatem hominis naturalem comparat filici, quæ nisi percutiatur, ignem non producit. Et Prosper. contr. Collat. comparat ferro ignito, qui flammam beni-

diderij non elicit, nisi spiritu gratia excitetur; Excitatur autem per rationem; ergo necesse est, vt ipsa ratio dirigatur, & prouideatur, vt ita iudicet, sicut ad mouendum affectum oportet. Sed in primis hoc non habet fundamentum in verbis Apostoli, qui solum loquitur de naturali lege impressa cordibus, non per gratiam, sed per conditionem naturæ, & per hanc dicit moueri hominem ad operandum ea, quæ sunt legis, & idè naturaliter ea facere. Deinde quod statim addit, *Testimonium perhibente conscientia ipsorum*, profectò intelligitur de naturali dictamine conscientiæ, quod potest haberi ex lumine naturalis siue vlla præuia excitatione gratiæ, vt paulò antea declarauimus: illud aut dictamen sufficit, quantum est ex parte intellectus, ad operandum aliquid secundum legem naturalem, quia per illud dictamen sufficienter applicatur, & quia illud dictamen sufficit ad accusandum eum, qui contra illud operatur. Denique ad formandum hoc conscientie dictamen, non requiritur semper supernaturalis excitatio, sed sufficient naturalis cogitationes, quæ obiectis occurrentibus excitantur, quod verò talis cogitatio fit cõgrua in ordine ad connaturalem effectum, non addit illi aliquam peculiarem proprietatem, quam necesse sit à gratia prouenire, vt in sequentibus capit. ostendemus. Ergo cum Paul. dicit, gentes naturaliter operari ea, quæ legis sunt, si illud *naturaliter* referatur ad intellectum, idè dictum est, quia lumen rationis, naturalis modo operans, ad hoc sufficit, & ita planè intellexerunt Greg. Patres supra allegati, & multi ex Latinis, & Hier. ep. 151. ad Algas. q. 8. vbi ex hoc loco probat legem naturalem scriptam in cordibus, & tandem testimonium conscientiæ. Quæ (inquit) omnes cõtinet nationes, & nullus hominum est, qui hanc legem nesciat, & sequitur D. Thom. 1. 2. q. 91. art. 2. in argumento, sed contra.

Alio ergo modo exponitur illud *naturaliter*, vt intelligatur ex parte intellectus, non excludat autè gratiam ex parte affectus. Priorem enim partem de intellectu indicant Græci: posteriore verò addit ibi D. Thom. dicens, *Et tamen non excluditur, quin necessaria sit gratia ad mouendum affectum*. Et sequitur Cathar. in id Gen. 3. *Adam vbi is?* Ratio autè reddi potest, quia longè difficilior est, velle, aut operari bonum, quam cognoscere esse faciendum. Quæ sententia non est aperta contra Paulum, quia non excludit expresse necessitatem gratiæ. Cum verò Paulus simpliciter dixerit, *naturaliter quæ legis sunt, faciunt*, qui dixerit hoc *naturaliter* intelligi ex parte intellectus, & non ex parte voluntatis, oportet, vt illud probet: alioquin si eadem ratio ex parte vtriusque potentie reperitur, merito de vtraque intelligimus Paulum, qui non de potentijs, sed de homine simpliciter loquitur, & idè ex vi ab soluta loquutionis vtramque potentiam excludit. Præfertim quia (vt dixi) Paulus loquitur etiam de infidelibus Gentilibus, quibus ante fidem, & voluntatem credendi, probabile est, nullam infundi gratiam, vel gratiæ auxilium ipsi voluntati, nisi in ordine ad concipiendum affectum credendi, quod est initium omnis alterius bonæ, & piæ voluntatis. Vel certe si interdum aliquid aliud auxilium datur infideli, illud est extraordinarium beneficium, non ex ordinaria prouidentia, vt infra videbimus, at operari bonum morale aliquando ex dictamine naturalis conscientiæ contingit gentibus etiam infidelibus ex ordinaria prouidentia, & idè naturalis conscientia eos iuste accusat, si non faciant. Nec Nazianz. supra citatus aliquid contra hoc dicit: imò hoc confirmat, dum ait, rationem esse, quæ aptitudinem naturæ excitat, vt natura in opus prodeat, & quoad hoc comparat naturam filici, rationem ferro excitat, seu percutienti. Prosper verò loquitur de pio desiderio, vt postea videbimus.

Supere est ergo vltima expositio illius vocis *naturaliter*, vt simpliciter, & vt sonat, intelligatur, id est, ductu naturæ, & per vires eius, & ordinariam prouidentiam secundum naturam concursum illi debitu. Et ita si intellexerunt illum locum Scholastici communiter, & con-

Ca. VIII. Vt ſi homo lapſus indigeat ſpeciali gratia interna ad honeſte, &c. 263

& conſonant alijs Patres, nec diſſentit Auguſt. in locis allegatis, & quoad doctrinam ipſam interius oſtenditur. Solū ſuper eſt alia euasio, etiam in doctrina eiſdem Auguſt. quia licet Paulus dicat, gentes naturaliter facere ea, quæ legis ſunt, hoc ſufficienter intelligitur quoad ſubſtantiam operis, vel præcepti, nam gentilis dans eleemoſynā, re vera facit aliquid, quod lex naturalis dicitur, & implet illam legem, etiam ſi non bene, nec recta intentione id faciat. Paulus aut ſolum dixit, gentiles facere ea, quæ ſunt legis, non verò dixit, bene ea facere. Vnde Auguſt. dicto lib. 4. cont. Iulian. cap. 3. cum dixiſſet, licet gentiles interdu ſine fide, & gratia naturaliter faciant, quæ legis ſunt, & ideo excuſari poſſint in die iudicii, vt tolerabilius puniantur, adiungit: Hoc tantum peccantes, quod homines ſine fide non ad eum finem hæc opera retulerunt, ad quem referre debuerunt. Poſſumusque hoc confirmare ex alio loco Pauli ad Rom. 4. Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum, vbi ex operibus intelligitur non facta ex gratia, & illa dicit, non habere gloriam apud Deum, quia non ſunt ſimpliciter bona, nec bene ſunt, & ideo ſolum apud homines merentur laudem propter apparentem bonitatem.

Verū tamen iam in ſuperioribus oſtenſum eſt, non oportere, vt infidelis malum finem, vel aliam prauā circumſtantiam operi ſuo adiungat, quando aliquid boni ex genere operatur, vel, quod perinde eſt, quando aliquid naturale præceptum implet, licet id ſæpè, & ordinariè contingat, vt fortasſe Auguſt. voluit, & expiſſe videtur dicto lib. de ſpir. & liter. c. 27. addendo particulam vix, vt cum Stapletonio c. 7. n. 24. notauimus, & ponderat etiā Valent. diſp. 8. q. 1. punct. 3. Quare cum Paulus ſimpliciter dicat, gentiles interdum naturaliter facere, quæ legis ſunt, gratis limitatur eiſus ſermo ad obſeruacionem legis quoad ſubſtantiam, non quoad bonum modum moralem. Præſertim cum ferè eadem ſeu triuſq; ratio, nam ſi ſit ſermo de omnibus præceptis legis naturæ, non poteſt gentilis naturaliter omnia facere, quæ ſunt legis etiā quoad eorum ſubſtantiam, ſi verò ſit ſermo de vno, vel alio opere ſicut non excedit facultatē naturalem, vñ vel aliud opus quoad ſubſtantiam facere, ita nec in vno, vel alio opere debetū moralem modum tenere, & prauas circumſtantias vitare. Et aliunde etiam conſcientia naturalis accuſat prauum modum, & poteſt etiam illum interdum excuſare, non eſt ergo cur ſententiam Pauli limiteſmus.

Neque obſtant alia verba cap. 4. imò potius iuuat, nam cum Paulus ait opera ſolius naturæ, etiam ſi bona ſint, habere gloriam, ſed non apud Deum; reuera loquitur de bonis, & honeſtis operibus ſecundum naturalem rationem factis, vt exponunt Chryſ. hom. 8. Oecum. ſuo c. 5. Theod. & Theoph. Ambr. Anſelm. D. Thom. & latius Caiet. & Tolet. & Salmer. diſp. 30. & ſequuntur Turrian. & Staplet. locis ſupra citatis. Qui omnes dicunt, Paulum loqui de bonis operibus, quæ Abraham ante fidem habuit, virtute quadam naturali, quæ apud Deum non erant meritoria, nec poterant iuſtificare, & ideo dicuntur non habere gloriam apud Deum, licet alioqui apud homines eſſent digna laude, non falſa, ſed ea, quæ ex natura rei bonitatem quacūq; operis moraliſ comitatur, vt tradit D. Th. 1. 2. q. 21. artic. 2. Eſt enim homo dignus laude eo ipſo, quod bene operetur, nam ſi operatio ſit ex ſola natura, licet liberè fiat, laus illa pertinere poteſt ad quandā gloriam humanam, non tamen ad habendā gloriam apud Deum, & ita verba illa aſſertionem noſtram potius confirmant, quam oppugnant.

Comprobatur iam Aſſertio huius capituli poſita in n.

4. ex loco Pauli hætenus explicato.

Vixta hanc ergo ſatis probabilem, ac receptam, valdeque planam, verbisq; Pauli coherentem expoſitionem, multum quidem ſuaſetur, ac confirmatur aſſertio poſita. Quæ ſimul authoritate Patrum comprobata eſt, omnes enim, qui hanc expoſitionem ap-

probant, & præferunt alijs, à fortiori doctrinam ipſam tanquam veram ſupponunt. Auguſt. verò, qui alteram expoſitionem antepoſuit, facit, hanc expoſitionem eſſe probabilem: & ſine vlla ſuſpicionem Pelagianæ erroris defendi poſſe, quod eſſe non poſſet, niſi doctrina ipſa vera eſſet. Auguſt. item in hoc ſicut in alijs imitatus eſt Proſper. Fulgent. verò licet in eo capit. vbi exponit locum Pauli, nihil de huius noſtræ expoſitionis probabilitate dixerit, nihilominus ſtatim c. 26. doctrinam ipſam conſtituit: nam loquens de iniquis hominibus, qui vel cognoscentes Deum, non ſicut Deum illum glorificant, & qui in operibus ſuis aliquid bonitatis ſeruant, ad finem verò charitatis illud non referunt, adiungit. Quibus aliqua quidem bona, quæ ad ſocietatem humanam pertinent equitatem, inſeſſe poſſunt, ſed quia non charitate Dei ſunt, prodeſſe non poſſunt. Præterea obiter authoritate Pontificia oſtenſum eſt, nullam in hac expoſitione eſſe ſuſpicionem Pelagianæ erroris. Quod iterum confirmant iſdem Pōtines, Pius, & Gregorius, damnādo 29. propoſitionem Baij, in qua dicebat, Pelagianum eſſe errorem, dicere, quod liberum arbitrium valet ad vllum peccatum vitandum, & 36. in qua dicebat, cum Pelagio ſenſire, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex ſola natura virtutis ortum ducit, agnoſcit. Cum enim iſtæ propoſitiones Baij ſint hypotheticæ, Pontifices illas reiſcindo, in rigore poterunt illas damnare ſolum propter exceſſum notādī doctrinam illam Pelagianæ erroris. Ergo vt minimum decernūt Pontifices, noſtram ſententiā eſſe ab omni ſuſpicionem Pelagianismi immunem. Hoc autem ſatis eſt, vt ſit contrariæ præferenda, & tanquam ſimpliciter vera defendenda, cum aliās ſit magis conſentanea Scripturis, & Patribus, & ratione ferè euidenter oſtendatur, vt ſtatim dicemus.

Accedit, quod idem Michael Baius in propoſit. 37. ſimpliciter, & ſine cenſura, vel alia exaggeratione docet, omnem amorem naturalem creaturæ rationalis, qui non eſt ab ſpiritu S. infundente charitatem, eſſe vitioſam cupiditatem, quod & in alijs propoſitionibus, præſertim 34. & 35. iudicauerat; & tamen Pontifices eadem generali cenſura illam doctrinam condemnarunt; ergo ad minimum cenſent, hanc noſtram ſententiā eſſe adeo probabilem, vt temerarium, vel ſcandalolum ſit, vt peccaminolum damnare omnem naturalem voluntatis affectum, ſeu amorem, qui ex gratia ſpiritus S. non proficiatur: in quo ſine dubio multum huic ſententiæ fauent. Quod etiam inde confirmatur, quia cum idem author propoſit. 28. ſine cenſura etiam, vel exaggeratione dixerit, Liberum arbitrium ſine gratia Dei adiutorio non niſi ad peccandum valet, ſub eadem cenſura à Pontificibus reiſcitur, quia reuera his temporibus propter Lutheranorum errores talis loquendi modus Catholicos offendit. Ergo virtute approbant cōtradictoriam propoſitionem, ſcil. liberum arbitrium ſine gratiæ adiutorio aliquid poteſt facere, quod peccatum non ſit. Ex quo facile inferitur, poſſe etiam aliquid facere, quod bonum morale ſit. Neque audienda eſt euasio quorundam dicentium, ad tuendam ſententiā Pontificum ſatis eſſe, quod poſſit liberum arbitrium facere aliquid indiſſerens. Hoc (inquam) friuolum valde eſt, quia ſecundum Auguſt. & D. Th. ſententiā cōmunis à Theologis probatam, non datur in voluntate liberè operante actus indiſſerens in indiuiduo, & ideo ſecundum verā Theologiam rectè ſequitur, ſi liberum arbitrium poteſt ſine gratia non malè operari, poſſe etiam bene. Et quāuis hæc illatio non ſit euidenter propter contrariam opinionem de actu indiſſerente in indiuiduo, quæ non caret ſua probabilitate; nihilominus veriſimile non eſt, Pōtines damnasſe illam propoſitionem Baij fundatos in tali opinione de indiſſerente actu poſſibili, vel propter illius probabilitatem.

Præterea eſt manifeſta ratio, quia ſi liberum arbitrium ſine adiutorio gratiæ valet ad faciendum actū, qui peccatum non ſit, ſed indiſſerens, etiam valere poterit

46. Et ex cenſura, & contra propoſitiones Baij.

Abieſtatur hæc euasio.

47. Cōfirmatur deinde argu- poterit

mentando
ab actu in
differens.

poterit ad faciendum aliquem actum moraliter bonum: quia si potest facere actum indifferentem; ergo potest velle aliquid indifferens sine malo fine, & sine mala circumstantia, nam si actus in specie indifferens fieret propter malum finem, iam non esset in indiuiduo indifferens, sed malus; ergo etiam poterit facere actum ex obiecto bonum sine prauo fine; ergo poterit facere actum bonum moraliter. Probatur consequentia, quia si voluntas potest pro sola libertate velle obiectum indifferens, propter aliquam naturalem commoditatem indifferentem, cur non poterit velle obiectum honestum propter naturalem honestatem. At verò actus ex obiecto bonus, & carēs malo fine, simpliciter est bonus: nam in alijs circumstantijs, minus periculi deformitatis, vel malitiæ inuenitur; ergo si liberum arbitrium potest non facere actum malum propter indifferens obiectum, poterit etiam facere actum bonum propter obiectum moraliter bonum, nullam ei addendo circumstantiam malam.

48.
Et ratio
priori,

Et hinc concluditur ratio à priori huius veritatis, quia talis actus non est per se impossibilis libero arbitrio gratia destituto, nec semper est in indiuiduo propter extrinsecam impedimenta adeo difficilis, vt ad vincendam difficultatem sit semper, & in singulis huiusmodi actibus adiutorium gratiæ necessarium; ergo non est, cur interdum fieri non possit à libero arbitrio sine adiutorio gratiæ. Antecedens quoad priorem partem euidenter est, quia talis actus est in substantia naturalis, quia est de obiecto materiali, & formali proportionato, & inclinationi, ac viribus naturalibus liberi arbitrij, & cognitio talis obiecti, iudiciumque conscientiæ sufficiens ad talem actum efficiendum etiam est naturale, & proportionatū naturali luminis intellectus, ac principijs, quæ homo ex obiectis sensibilibus, & p species ab illis acceptas naturaliter cognoscere potest; ergo ex nullo capite actus ille est per se impossibilis naturalibus viribus liberi arbitrij. Altera verò pars non indiget probatione, quia experimento satis constat: sæpius enim contingit, nullam occurrere difficultatem peculiarem in exercendo aliquo actu virtutis, vel misericordiæ ad inopem: reuerentiæ vel obedientiæ ad parentes, &c. Imò interdum homo, vel ex generali conditione naturæ, vel ex peculiari, & indiuidua inclinatione, vel ex consuetudine, & bona educatione est satis propensus in huiusmodi actus: & alioqui cum impedimenta sint accidentaria, & contingentia non semper occurrunt. Ergo nulla ratio reddi potest tantæ impotentiae, vel difficultatis in omnibus, & singulis actibus huiusmodi, vt nunquam possit aliquis sine auxilio speciali gratiæ per liberum arbitrium fieri.

49.
Ac denique
argumen-
tando ab
statu naturæ
integræ ad
lapseam.

Atque hic discursus probat generaliter tam in statu naturæ lapsæ, vel puræ, quam in statu integræ naturæ, de quo assertio multo magis communis, & recepta, & cum maiori ampliatione, vt in sequentibus videbimus. Nunc verò quoad præsens punctum de aliquo, vel aliquibus actibus, ab statu naturæ integræ ad lapsam sumitur efficax argumentum, quia difficultates, & impedimenta bene operandi, quæ ex lapsu naturæ humanæ ortæ sunt, non semper, & in singulis actibus operis difficultatem adeo augēt, vt propter illam solam necessarium simpliciter sit auxilium gratiæ ad singula moralia opera ordinis naturalis, vt ostensum est. Quia verò hic discursus diuersis modis eluditur iuxta diuersos modos explicandi auxilium gratiæ ad hos actus necessarium, ex quibus etiam ortum est, vt aliqui non tantum in statu naturæ lapsæ, sed etiam integræ: imò non solum in humana natura, sed etiam in Angelica, auxilium gratiæ ad singulos bonos actus requirant: idē ad pleniorē assertionis probationem, & eius discursus confirmationem per singulos modos & opiniones affirmantes necessitatem talis auxilij discurrendum est, & quā fine fundamento loquantur, ostendendum.

In nullo statu esse necessariam homini ad honestam operationem moralem ordinis naturalis specialem motionem, vel qualitatem ipsi voluntati a Deo impressam, quæ & physicè actum efficiat, & voluntatem ad illum efficiendum omnino determinet.

Primus modus explicandi gratiam necessariam. 1. Ad singula bona opera moralia fuit Gregorij 2. d. Prima. 28. q. 1. concl. 1. & 3. maxime ad 12. Qui dixit, existente cogitatione, & iudicio practico hominis de obiecto bono honesto præstante voluntati, non posse hominē solo libero arbitrio cum concursu generali Dei se determinare ad bonū illud bene, seu virtuosè volendum, sed necessariam esse specialem Dei motionē gratis à Deo impressam voluntati, quæ sit qualitas quasi transiens, vel alia similis entitas, quæ & physicè cum voluntate talem actum efficiat, & voluntatem ipsam ad illum studiosè præstandum iuuat, atque determinet, ita vt sine illo adiutorio non possit voluntas facere talem actum, & ibi posito non possit aliter operari. Distinguit autem Gregor. hanc motionem à generali concursu, tum quia non est generalis, sed specialis tantum ad opera bona, & libera, tum quia in re ipsa concursus non distinguitur ab actione creaturæ, hæc autem motio est res ab illa distincta, tum quia per solum concursum facit Deus actum liberi arbitrij, non tamē determinat voluntatem creatam, nec facit, vt faciat, vt pater in actibus malis: per hanc autem motionem determinat voluntatem hominis ad actum bonum, & facit, vt faciat illum. Vnde concludit hanc motionem non esse debitam, quia nō est simpliciter necessaria ad operandum, ac subinde esse specialem gratiam. Nam Deus solum debet generalem concursum: ergo quando addit hanc motionem, gratis illam confert tanquam speciale donum, est ergo gratia, & speciale beneficium saltem quoad modū. Atque hanc opinionem sequutus est Capreol. in eadem d. 28. art. 1. concl. 2. & art. 3. ad argumenta contra illam, & Hispanens. art. 3. notab. 1. & 2. Videretur quidem sequi Dionys. Cytherci. in 1. dist. 17. q. 1. art. 1. concl. vlt. latius in 2. d. 25. q. 1. art. 2. dicit enim, liberum arbitrium non sufficere ad aliquam bonam actionem, sicut sufficit ad malam, sed indigere speciali auxilio: non verò explicat modum istius auxilij, refert tamen Gregorium, & ita videretur eius sententiam sequi. Quam etiam tenet Mai. 2. d. 28. quæst. 1. concl. 2. & 3. vbi eodem modo loquitur. Sic etiam refertur pro hac sententia Romę lib. de libert. oper. verit. 14. & 15. & alij, qui vt opinor, in alijs sensibus locuti sunt, ideoque eorum sententiam in sequentibus capitulis tractabimus.

Habet hæc sententia quædam fundamenta ceteris opinionibus, quas non probamus, communia: quæ ab authoritate sumuntur, eaque post nostrę sententiæ confirmationem, & aliarum opinionum confutationem, expendemus. Vnica ergo videtur esse ratio Gregorio maxime propria, quæ iam est tacta in superioribus: quia non potest actus esse bonus, nisi in debitum finem referatur, non potest autem referri in finem sine gratia: nam debitum finis est, vt propter gloriam Dei fiat, ad Coloss. 3. hic autem finis naturam superat: ergo. Atque hæc ratio habet fundamentum in Augustino libro primo, de Gratia Christi capit. vigesimo sexto.

Hæc verò sententia communiter refellitur ab authoribus, quos in sequentibus capitulis referam. Et mihi displicet, falsaque videtur. Primò quia rem occultissimam, & obscurissimam affirmat sine vilo authoritatis, vel antiquitatis fundamento, quod vel ex

Schola-